

**Dissertatio medica inauguralis de scrofula ... / Eruditorum examini subjicit
Jacobus Wood.**

Contributors

Wood, James
Robertson, William, 1721-1793.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour & Smellie, Academiae typographos, 1791.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/q98jqmw6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

52732/10

P
WOO

BW 7


\$30

DISSE R TAT I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

S C R O F U L A.



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30382257>

D I S S E R T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

S C R O F U L A.

Q U A M,

A N N U E N T E S U M M O N U M I N E,

E X A u c t o r i t a t e R e v e r e n d i a d m o d u m V i r i ,

D . G U L I E L M I R O B E R T S O N , S . T . P .

A C A D E M I Æ E D I N B U R G E N Æ P r a e f e c t i ;

N E C N O N

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n s e n s u ,

E t n o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C Æ d e c r e t o ,

P R O G R A D U D O C T O R I S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S A C P R I V I L E G I I S .

R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;

E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

J A C O B U S W O O D ,

B R I T A N N U S ,

S o c . R e g . M e d . E d i n . S o d . E x t r a o r d .

N e c n o n

P r a e f i d i i R e g i i T u e s i s C h i r u r g u s .

Q U A M M A X I M E F I E R I P O T E R I T , D A B O O P E R A M . — C I C E R O .

A d d i e m 2 4 J u n i i , h o r a l o c o q u e f o l i t i s .

E D I N B U R G I :

A p u d B A L F O U R e t S M E L L I E ,

A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s .

M , D C C , X C I .

Wellcome
Library

Viro Honorabili

JOANNI VAUGHAN,

Exercitus Britannici Imperatori,

Senatori Integerrimo,

Legionis 46tae Tribuno,

Nec non

Regio Praefidii Tufis Praefecto,

Hanc Dissertationem,

Summae Observantiae,

Animique beneficiorum haud immemoris,

Testimonium,

D. D. D. C_{QUE}

A U C T O R.

МАНДАГИНА ОТ

Любовь Ильинская

Семинаръ

Семинаръ

2

Семинаръ

Семинаръ

Семинаръ

Семинаръ

Семинаръ

Семинаръ

Семинаръ

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

S C R O F U L A.

CUM malum, de quo hic agitur, in nostra Britannia frequenter occurrat, aerumnas infortuniaque haud levia, imo saepe exitium, adferat, et indies celeriter ingravescere videatur; idcirco paucula de ipsius natura, et medendi ratione, proferre ausus sum. Ad tantum malum, quod potentis hostis instar rapide progreditur, et stragem caudemque horrendam undique variis formis dat, vincendum, omnes medicinam facientes conspirare decet. Medicus suae fibi

impotentiae conscius, omni spe abjecta, labascit,
 aegerque infelix vitam misere agit, aut morte
 tandem sublevatur : His rebus inductus, in hu-
 jus mali naturam animum semper summo cum
 studio interidi ; jamque hanc occasionem senten-
 tiam meam in vulgus edendi libenter arripi.
 Haud equidem spero me aliquid novi super hac
 re allaturum ; hoc tantum volo, me aliquid,
 quamlibet exiguum, ad morbi indolem melius
 intelligendam, conferre vehementer exoptare ;
 donec tandem aliquod luminis morbo affunda-
 tur, veritasque ipsa demum, repetitis posterum
 tentaminibus, e templi sui penetralibus forsitan
 evocetur.

Hic morbus veteribus bene innotuit ; nunc
 autem dierum indies invalescere, radicesque al-
 tius agere videtur : Variis apud varias gentes
 nominibus insignitus est ; apud Graecos, *χοιρας* ;
 apud Latinos et Arabes, *Scofula*, vel *Struma* ;
 apud Gallos *Les Ecrouelles* ; apud Italos, *La Scro-
 fola* ;

folia, et denique apud Anglos, *King's Evil*, audit: Plurimosque hoc vitio laborantes ab Angliae et Galliae regibus, quos morbo medendi virtute haereditaria praeditos esse, vulgus credere, contactos fuisse, memoriae proditum est.

DEFINITIO MORBI.

“ Glandularum conglobatarum, praesertim in collo, tumores; labium superius et columna nasi tumida; facies florida; cutis levis; tumidum abdomen.” Hoc charactere a celeberrimo Culleno scrofula insignita est; et hoc genere quatuor morbi species complectitur.

“ 1. Scrophula (*vulgaris*) simplex, externa, permanens.

“ 2. Scrophula (*mesenterica*) simplex interna, cum pallore faciei, inappetentia, tumore abdominis, et foetore faecum insolito.

“ 3. Scro-

“ 3. Scrophula (*fugax*) simplicissima, et tantum circa collum, plerumque a resorptione ex ulceribus capitis proveniens.”

“ 4. Scrophula (*Americana*) cum Framboesia conjuncta.” Cum vero hae etiam species cunctas morbi formas non complectantur, character plenius intelligetur ex

HISTORIA MORBI.

Prima scrofulae signa adeo sunt varia et multiplica, ut nullus morbi cursus regularis, ac fibi constans, indagari queat; idcirco morbum in duas varietates, *externam*, scilicet, et *internam*, distribuemus: Hanc morbi divisionem duplice causa anteferimus, tum quod morbi conspectus inde fit clarior; tum quod mihi hanc rem saepe perpendenti persuasum est, scrofula externa existente, viscera esse plerumque labis immunia,

munia, et, vice versa, visceribus partibusque internis eodem affectis, nulla mali signa externa plerumque se prodere.

Scrofulae *externae* prima signa saepe sunt ophthalmia inveterata, labiumque superius plus minus tumidum, medioque rimula fissum; hic labii tumor nonnunquam ad nasi columnam usque pertingit: Aliquando, his signis absentibus, a glandularum maxillarium aut colli lymphaticarum tumoribus orditur: Saepe etiam, his omnibus symptomatibus absentibus, articulos maiores, humerum, cubitum, coxendicem, genuaque, pariterque glandulas lymphaticas dorsi profundiores, et aliquando pectus, manumque averfam, adoritur; aliquando manuum ac pedum digiti tentantur: Genu affecto, apud Anglos, *White Swelling*, nominantur: Quo nomine alii quoque genuum tumores, licet ex labe strumosa non pendeant, appellantur. Glandularum maxillarium aut colli lymphaticarum tumores sunt
ple.

plerumque mobiles, rotundi, quadanique resili-
 endi vi praediti, doloris cutisque decoloratio-
 nis expertes, saepe gradatim decrescentes eva-
 nescunt; nonnunquam annos immutati manent;
 saepe vero dolore correpti inflammationem pati-
 untur, tandemque in suppurationem definunt:
 Quando ita se res habent, morbus plerumque
 lente progreditur, tumor primo mole augetur,
 fit mollior, magisque immobilis; cutis sub hoc
 tempus nitorem et colorem purpureum induit,
 tandem magis rubescit, donec tandem fluctua-
 tio subtilis tactu percipitur. Articulorum cae-
 terarumque corporis partium tumores plerum-
 que sunt ab initio molles, raro mobiles, arti-
 culo circumdantur, motumque impediunt; inte-
 gumenta pariter saepe non decolorantur, sed, e-
 tiam finita suppuratione, crassa et pallida manent.
 Omnes tumores strumosi inter suppurandum
 primo parum dolent, donec ligamenta vel carti-
 lagines laedantur, aut ossa carie quadam, quae
spina ventosa audit, afficiantur. Glandularum

sub maxillis colloque sitarum, praecipue articulorum, caeterarumque corporis partium, tumores, suppuratione facta, sine ruptura perstant, et aliquando nunquam rumpuntur; quando vero hoc fit, aut arte aperiuntur, qui in collo aut sub mentem sedent, fluidum tenui, ferosum, pure plus minus commixtum, effundunt; et substantia alba cafei, aut lactis pressi, aut nuclei instar, quae e loco suo aegre discedit, in ulceris fundo conspicitur; qui hanc substantiam continent, plerumque vehementer dolent, et inflammantur: Articulorum autem, caeterarumque corporis partium, tumores, primo substantiam magis purulentam, quam qui sub maxillis, et in collo sedent, effundunt; haec autem quoque ab initio est tenuior pure quod ex abscessibus *phlegmatisicis* effunditur; sanie effusa, tumor brevi subsedit; ulcerum vero fanitas ulterior ex ipsorum situ, ossiumque statu, pendet: Articulorum glandularumque dorsi profundarum abscessus saepe tardissime fanantur: Si ossa exulcerentur, nulla

nisi

nisi a manu chirurgi levaminis spes ; si minus, motu tamen articulorum quodammodo impedito, tandem sanantur. Colli autem maxillariumque glandularum ulcera benigniora sunt ; neque enim multum serpunt, neque profundiora fiunt. Observandum est tamen, ulcerum margines nullam cicatricis cito formanda speciem prae se ferre ; saepe enim in hoc statu diutius perstant ; tandem vero ad sanitatem spectantes sanantur ; postea alii tumores in medium prodeunt, eundemque cursum ac priores currunt ; hos demum alii excipiunt, donec tandem omnes, cicatricibus indelebilis, foedis, plerumque pallidis, ac laevibus, aliquando vero rugosis, relictis, conglutinantur : Hoc modo morbus fauste terminatur : Interdum vero non adeo in sanitatem proclivia sunt ; numero enim et mole, in variis corporis partibus nascentia, augentur, ligamenta et cartilagines rodunt, ossa carie afficiunt, tantaque fit humorum detractio, ut aeger marcore afficiatur, tantaque saniei vis absor-

betur,

betur, ut *febris hectica*, et mors tandem superveniant. Ulcera anni tempestatibus quodammodo conjungi observat clar. Cullenus ; hyeme ac vere se ostendunt, aestate vero sanescunt.

Scrofula coxendicem afficiens quibusdam singularibus stipatur ; prima signa sunt dolor, partisque femoris superioris tumor, insignis claudicatio, vitiumque aeger ad genu, quod curvum est, referre solet ; artus enim aegro erecto stanti longiusculus fit ; si tumor fauste depleatur, abscessusque coeat, artus haud parum curtabitur, et sic per totam vitam curtus persistabit.—Facies nonnunquam eruptionibus, ulcusculisque strumosis afficitur, quae humorem tenuem ac serum effundunt, et plerumque, cicatrice nulla facile percipienda relictâ, sanescunt ; et haec morbi forma saepe, nullo alio signo manifesto, occurrat.—Fistulam lachrymalem, quippe qua strumosi haud raro laborant, ad scrofulam saepe referendam judicamus. Insignis mammarum

tumor, quippe quem nullus fere dolor, aut dūties notabilis comitentur, quique usitatis in hoc morbo remediis saepe cedit, ad hoc vitium haud immerito referendus videatur ; hujusmodi mammam, libras quindecem ponderantem, quae mole ac pondere solum aegrae molestiam attulit, cultro se excidisse memorat clar. Hunter.

Testes pariter aliquando tumoribus afficiuntur, qui, eo quod scrofulam quibusdam referunt, non sine jure ex hac labe pendere censeantur. Nonne abscessus, qui musculos pfoas, quadratosque lumborum afficiunt, eodem referendi sunt ? Harum partium inflammatio in abscessum abiens proculdubio fieri potest. Nonne bronchocele pariter ad idem vitium pertinet ?

Jamque scrofulae externae signis, quantum me penes fuit, enumeratis, hoc unum addam, quavis parte hominis in scrofulam præclivis forte incisa, vulnus quadantenus ulceris strumosi

speciem

speciem saepe prae se laturum ; neque eadem, qua vulnus corporis a labe immunis, facilitate sanandum.

Scrofula interna. — Ex omnibus hujusmodi viscerum affectionibus, scrofula mesenterica, secunda species generis scrofulae in Nosologia Methodica clar Culleni, animos nostros prima in se convertit. Prima hujus mali signa sunt abdominis molestiae et doloris sensus, appetitus et dejectiones abnormes ; hic molestiae sensus, praecipue post cibum assumptum, percipitur ; facies simul pallet ; habitusque corporis laxus ac flaccidus, languor insignis, ab omniexcitationis genere avertatio, adfunt : Abdomen brevi praeter naturam tumet ; nulla ciborum appetentia ducitur ; sitis praeter solitum, et superficie, volarum que praefertim calor, intenditur ; spiritus foetet ; abdominis dolor frequentior est ; pulsus jam frequens ac parvus fit ; hecūca acceditur ; summae laſſitudinis sensus angit : Jam ventris

pro-

proluvies spumosa ac olida plerumque vexat ;
 marcor indies augetur ; ossa, praesertim ad articulos caputque, praeter naturam mole augeri videntur ; costae depresso, spinaque dorsi saepe torta evadunt. Jamque macies fit universalis, hec tica ingraevcente, mors tandem miserum e medio aufert : Cadavere inciso, mesenteriae glandulae mole auctae, erosae, ulceribusque foedae, conspiciuntur.

Pulmonis scrofula, quippe qui e visceribus hac labore frequenter afficitur, et phthisis pulmonalis scrofulosa vocatur, proxime memoranda est ; hujus vero phaenomena, quippe quae diligentiam tractare adsolet, hic loci enumerare haud licet : Signa fere eadem ac phthisis, ex quavis alia causa abortae, sunt ; curriculum suum lentius plerumque absolvit ; certius autem, si fieri possit, exitium adfert ; cumque quamplurimos hoc morbo mortuos viderim, phthisis ex hac labore saepius, quam ex quavis alia causa excitari,

facile adducor ut credam. Si quaedam scrofulae signa, aut proclivitas in morbum se prodant, aegerque a levi catarrho, tussicula sicca, aut spirandi difficultate afficiatur, pulmonem scrofula tentari jure colligere licet : Haec signa in tempus diuturnum saepe perstant, donec tandem progressu graviora facta, et hecticae magis per timecenda symptomata supervenientia, misero exitium afferunt.

De aliorum viscerum scrofula, quippe cui nulla exempla vidisse contigit, quae omne dubium penitus tollunt, sine errandi formidine dicere non possum : Uterum vero, aliorum auctoritati innixus, scrofula affici crediderim ; uterus enim saepe mole praeter naturam augetur ; cum hujusmodi tumor in morbo affectis occurrat, hocce viscus vitii generalis particeps esse, suspiciari fas est.

Jecur et splenem hoc morbo laborasse fertur ;

de

de signis autem horum morborum propriis fide
fatis certa dicere nequeo : Nonne scrofula jecur
corripiens potest esse causa signorum, his, quae
hepatitiden comitantur ac sequuntur, similium ?

Cum infantes aetate, qua actio *solidi vivi*, et
praecipue cerebri, valida non sit, hydrocephalo
afficiantur ; cumque struma actionem corporis
fanam plane imminuat ; nonne igitur cerebrum
hoc vitae tempore facilius tentetur, et hydroce-
phalus ex vitio strumoso suboriatur ?

Potestne scrofula unquam esse localis, aut in
aliqua corporis parte, sine totius corporis pro-
clivitate, existere ? Si opportunitas in morbum
sit generalis, ullane datur corporis fibra, quae
morbo non sit obnoxia ?

Antequam scrofulae historiae finem faciam,
quaedam de rachitide, quippe quae a nonnullis,
eo quod struma nonnunquam conjungatur, ea-

dēm

dem ac scrofula indole esse putatur, observanda sunt : Clar. Cullenus rachitiden pendere opinatur ex defectu secretionis materiei ossae, quam natura, aetate, qua rachitis manifesta fit, comparat. Hosce duos morbos secum invicem conferre nolo, quippe. qui etiamsi hoc fecisset, nihil tamen certi statuere possum ; neque sane haec res magni momenti esse videtur ; de rachitide medenda parum discrepant medici ; eadem etiam remedia, quae scrofulae curandae idonea sunt, contra rachitiden quoque plurimum valent ; hoc unum monere ausus fuerim, atoniam scilicet, quae quodam vitae tempore scrofulae signa excitat, modo existat, quando materiem osseam suppeditare natura voluerit, conatus hujus irritos quodammodo reddere, et rachitiden excitare.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Hic loci opinio, qua statuitur scrofulam esse morbum haereditarium, perscrutanda videatur. Morbum, accurate loquendo, non esse haereditarium, licet proclivitas saepe sit, facile credidetur : Hoc intellectum volo, nullum nempe humorum a parente ad prolem transmissorum vitium immutabile, quod revera existat, quodque morbi naturam constituere dicitur, satis esse manifestum ; imprimis, quia morbus saepe sponte decedit ; si autem quodvis humorum vitium immutabile existeret, quomodo, quae foras expelli posset ? Deinde, si quae humorum inquinatorum transmissio foret, nonne proles quaevis cuiusvis parentis strumosi morbo semper affiliatur oportet ? Cum nemo mali immunis esse queat, sicuti in lue venerea evenire adsolet ;

aliter

aliter autem se res habet ; unus enim liberis
faepe solus morbo tentatur ; et denique, quia
morbus in quibusdam locis prae aliis invalescit :
Non pauci afferunt infantem e regione in qua
morbus ignotus est, in loco ubi invalescit, ad-
vectum, scrofula correptum fuisse, et vice versa,
infantem in scrofulam proclivem, e locis quibus
morbus familiaris est, in coelum sub quo mor-
bus ignotus est, deductum, morbi evasisse im-
munem ; hoc est, scrofulam in regionibus, ubi
causae excitantes non existunt, nunquam se of-
tendere : Hinc igitur colligerem scrofulam mor-
bum haereditarium haberi non posse, nullo a-
lio sensu, nisi quod quaedam solidorum condi-
tio, quae proclivitatem dat, a parentibus ad pro-
lem descendit, quae corpus causarum excitan-
tium viribus magis obnoxium reddit ; neque
ullum temperamentum, aut capilli, oriisque co-
lorem, in hunc morbum prae aliis proclivia esse
haberem ; morbus enim, ut quorundam obser-
vatione constat, non minus qui fusco, quam

qui eximio oris colore praediti sunt, adoritur :
 Judaeorum Londinenium enim siboles, quo-
 rum plura exempla vidi, et complures Æthio-
 pes in hac insula morbo tentantur ; praeterea
 Simiae, Gallinae Africanae, Sues, Ovesque saepe
 scrofula afficiuntur ; quae omnia opinionem
 qua statuitur, proclivitatem in scrofulam e quo-
 vis temperamento, orisve colore, pendere, fun-
 ditus convellunt ; fieri quidem potest, ut qui
 laxo ac molli corporis habitu, capillis flavis, ru-
 bris, caeruleisque oculis praediti sunt, in hunc
 morbum p[re]e aliis procliviores sint.

Hinc pessimi effectus, ex eo quod hominibus
 firmiter persuasum sit, scrofulam, accurate lo-
 quendo, morbum esse haereditarium, profluxe-
 runt : Haec enim opinio saepe impedit, quo-
 minus auxilia idonea adhibeantur ; medico om-
 nem spem adimit, plurimisque familiis plurium
 aerumnarum, miseriaeque fons et origo extitit ;
 contraria autem opinio omni ex parte salutaris

est,

est, et sane vera quoque videtur; aegrotantem hilarem reddit; parentes ad rationem morbi praecavendi inducat; medico spem ac fiduciam conciliat, et nullatenus generali medendi rationi repugnet. Porro, hac de morbo sententia stabilita, fieri potest, ut morbi natura accuratius indagetur, tandemque malum, quod nunc diem adeo increbescit, magna ex parte, causis bene notis, tollatur. His positis, mihi persuasum est, opportunitatem in scrofulam, qualem supra descripsimus, esse vel haereditariam, hoc est, a parente ad prolem descendere, vel congenitam, vel nobiscum natam, vel demum acquisitam *, hoc est, potestatisibus nocentibus post partum corpori admotis, aboriri: Cum autem vera generationis theoria ignoratur, modi quo proclivitas congenita oriatur, rationem reddere non audeo; foetus in utero, quavis matris valetudine adversa, aut casu, opportunitate facile corripi potest;

* Vid. Cel. Greg. Conspect. Med. Theoret.

potest ; proclivitas vero acquisita, causis sequentibus post partum oriri potest.

Quicquid imminuit aut non satis sustinet corporis robur ; pravus nutricatus ; aer humidus ; immundities ; somnus nimius ; vestimenta nimia ; cibus quantitate et qualitate peccans * ; praesertim farinacea nimia, quae concoctu difficultia, ventriculum ultra modum distendendo, infirmant, et concoctionem corrumpunt, ita ut idoneum et necessarium chyli subsidium corpori non suppeditetur. Pisces quoque, nimia quantitate, homines in hunc morbum proclives reddere, mihi videtur : Huc pariter accedit inertia, quae quidem homines cujusvis aetatis, ubique

* Hic loci notare licet, ovium luem, scrofulam quam maxime referre ; et ego certior factus sum agnos, in pascua palludosa, ineunte vere, quo brevi saginentur, depulso, mesenteriae glandularum tumoribus affici, dum alii ejusdem gregis, qui pascuo jejuno vescuntur, optimam sanitatem fruuntur.—Vid. White on Scrofula.

que locorum, in morbos opportunos reddit ; novi ego vegetos ac robustos, qui, postquam inertiae et vitae sedentariae indulgere cooperant, scrofula male vexabantur. Infantes a partu, vel potius a secundo aut tertio aetatis anno, ad septimum, hac proclivitate maxime afficiuntur ; sub pubertatem, morbus saepe decedit; nonnunquam tamen post pubertatem vel oritur, vel perstat. Mares foeminis procliviores esse fertur ; nulla vero aetas, aut sexus, orisve color, a malo immunes sunt.

C A U S Æ E X C I T A N T E S.

Causas praedisponentes et excitantes a se invicem dignoscere arduum est ; ideo quod illae, certis gradibus auctae, in has mutentur. Quae-dam regiones situsque locorum videntur esse causae excitantes ; in aliis magis, in aliis minus

inva-

invalescit scrofula, et in Magna Britannia magis quam alibi locorum graffatur ; Comitatus Lancastriae et Suffolciae numero, qui hoc vitio laborant, insignes esse feruntur *. Robertus Saunders glandularum tumores in Comitatibus *Rungbore* ac *Bouan* plurimum invalescere refert †, sexta incolarum parte morbo tentata ; endemie graffari putat, quod ex quadam aëris, prope montes, ubi solum et fruges similia sunt, constitutione oriri censet. Clar. Hunter scrofulam inter climata 40^m. et 60^m. potissimum dominari ; in regionibus calidioribus aut frigidioribus vix unquam se ostendere, opinatur. Haec observatione magna ex parte vera mihi videtur, eo quod causis excitantibus adnumeranda sunt calor et frigus, in hisce regionibus subito saepe se invicem

* Vid. White on Scrofula.

† Vid. libellum cui titulus, " Some Account of the Vegetable and Mineral Productions of Boutan and Thibet."

invicem excipientes. Clar. Cullenus, ver inter causas scrofulae excitantes recensuit; coelumque apud nos hac anni tempestate subitas ac frequentes mutationes subire, satis observatione constat; hinc ratio redditur, quare partium Orientalium Magnae Britanniae incolae scrofula potissimum afficiantur; in his enim oris magnae tempestatis vicissitudines observantur; et pariter quare hic loci magis plerumque, quam alibi gentium, in quibus siccius, magisque sibi constans est, malum graffetur, ex eodem principio, aliqua faltem ex parte explicari potest.

Nutrices alumnos labe strumosa inquinare fertur; haec autem sententia, quippe quae Clar. Culleni, Hunteri, White, aliorumque experientiae repugnat, prorsus respuitur: Ubi de causis praedisponentibus agimus, pravum nutricatum infantes, corpora ipsorum infirmando, in morbum opportunos reddere posuimus.

Scrofula nunquam contagione oriri videtur *.

Malum variolarum infitione una cum illarum viro corpus infici creditum est ; haec autem opinio, ob rationes supra allatas, jam exploditur ; praeterea experientiae et observationi clar. Culleti, qui contendit scrofulam variolas naturales saepius quam arte infitas sequi, repugnat ; et quando variola infantes strumosos etiam corripit, tantum abesse ut morbum adaugeat, ut etiam signa aliquamdiu levet, cuius plurima quidem exempla vidi. Cum tamen scrofula saepe brevi post variolas se ostendit, variola igitur causa excitans haberi potest. Scrofula pariter saepe rubeolam sequitur, et omnia quidem exanthemata quibus aetas infantilis obnoxia est ; et mihi persuasum est, haec causarum excitantium instar agere, corrumpendo nimirum illam solidorum conditionem, quae ad scrofulam praevendam necessaria est, quaeque non aequi in infantibus

* Vid, Cel. Cull. First Lines, p. 373, Vol. iy.

infantibus ac in adultis pollet. Quapropter illi facilius ac saepius struma afficiuntur Scrofula nonnunquam omnium aetatum homines, post febres continuas, quae aegrotantium corpora infirmant, adoritur.

Magnarum urbium aer scrofulae causa excitans saepe habitus est. Exinanitiones, sive naturales, sive arte factae, suppressae; vis externa, seu contundendo, luxando, quovisve alio modo agat; acria, sive ad corporis superficiem, sive ad canalem alimentarium, resorbeantur, scrofulam movent: Nec non luem venereum, rachitiden, ac pariter pertussin, excipere fertur: Denique affectus animi deprimentes ad morbum excitandum plurimum conferunt.

CAUSA PROXIMA.

Humorum acor olim, postea humorum lensor et ipissitas, et nuper acrimonia a Culleno, aliisque, pro causa proxima habita sunt. Cum duae priores sententiae a nemine, quod sciam, vindicentur; cumque Cullenus ipse de acrimonia operandi modo plane haereat, et illam nullo modo verisimilem esse putat, tali causae immorari nolo. Hoc unum, modi quo haec acrimonia agat rationem reddendi difficultate praetermissa, percontari fas sit, quomodo haec acrimonia, quam etiam haereditariam nonnulli putant, e corpore egreditur, cum morbus saepe sponte discedat: Si mali causa haec acrimonia sit, nonne corpori infixa et immota semper, morbusque pariter, donec acrimonia remediis expulsa fuerit, semper persistent, oportet? A-

liam

liam igitur theoriam, singularem nimirum systematis lymphatici constitutionem, proponit clar. Cullenus. Laxitatem hujus systematis pro causa proxima habet clar. Russel. Neutri autem harum assentiri possum; quia, ut observat celeberrimus noster Professor Monro, ossa, caeterae. que corporis partes, saepe malo afficiantur: Omnibus itaque morbi signis, causis excitantibus, remediisque, per pensis, causam morbi proximam peculiari cuidam totius corporis atoniae, vel *laxitati*, ascribendam esse puto, qua sistema lymphaticum, praे aliis corporis partibus, afficitur; hanc corporis statum, *dissolutionem vivam*, nisi forsan specie tenus absonum est, et ab hominum opinione alienum videatur, appellarem: Haec theoria atoniae, vel laxitatis posita, plura scrofulae signa exponi possunt.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM.

Cum causa morbi proxima in quadam totius corporis peculiari, vel sui generis, laxitate, et atonia consistit, machina muneribus suis fungendis impar evadat, oportet; hinc vasa ad humores propellendos non valeat; vasorum itaque oppilatio, inflammatio, et quae hanc sequuntur, oriuntur necesse est: Cum autem venae resorbentes, praे aliis partibus, ut observatione constat, magis afficiantur, mirum non videbitur, si morbi signa in illis primo plerumque se manifestent; si unicum solummodo vasculum laxum evadat et obstruatur, tumor, inflammatio. et quotquot hanc consequuntur, forsitan non oriuntur; si vero plurima vascula simul oppilentur, tumores, inflammatio, &c. manifeste se ostendat, oportet. Hoc simplici principio et pendere

dere et explicari posse omnia hujus mali signa mihi videntur. Laxitas vel atonia oppilationi, haec vero tumor, et plerumque inflammationi, tristisque, quae superveniunt, signorum cohorti, ansam praebent. Modo nonnulla, modo omnia alicujus partis vasa, hoc vitio tentantur : Cum pars tantum vasorum ingredientium aut exeuntium cujusvis glandulae aut corporis cavi hac debilitatis specie afficiuntur, vel plus justa exhalare, vel non omnino resorbendi capaces esse possunt. Si hoc eveniat, glandulae munera, vel quodammodo impedianter, aut effusio in cavum, cui haec vasa interficiunt, praeter naturam fiat oportet ; si autem haec vasa muneribus suis fungendis idonea iterum reddantur, morbi signa evanescunt ; omnibus vero vasculis affectis, humores in cavo vel glandula stagnent, omniaque tali vitio conjuncta pro situ et munere horum vasorum eveniant, necessario sequuntur. Morbus in colli glandulis et pulmone, quippe qui causarum excitantium, caloris nimirum et frigoris

goris coelique mutationum viribus, praे aliis corporis partibus, objiciuntur: Propter eandem rationem, articuli pariter saepe laborant; nam vi externae, contusione, variisque casibus, obnoxii sunt; huc accedit, quod in his vis vitalis debilior est. Mesenteriae glandularum tumores ex alimentis acribus, aliisque caufis excitantibus, aut saepe ex caufis praedisponentibus solis diutius admotis, jamque caufarum excitantium instar, praesertim in iis proclivitate affectis, operantibus, suboriri queunt. Abdomen tumidum ex aëre, propter pravam alimentorum concoctionem, intra intestina extricato, maxima ex parte pendere videtur; glandularum enim tumores raro tanti sunt, ut ad hunc effectum praestandum valeant. Haud facile ratio redditur, quare tumores strumosi pus, tam boni moris ac tumores *phlegmonodei* non effundant; ad hoc enim expediendum, de puris natura ac indole liquido nobis primo constaret, necesse est; hinc tamen forsitan quodammodo pendere videretur, quod

phlogosis,

phlogosis graviori inflammationi stipetur, cursumque suum citius quam struma percurrat.

Macies et debilitas sine fine augmentur, eo quod concoctio sit prava, alimentaque chylum idoneum suppeditare non possint, neque in sanguinem, propter *mesenteriae* glandulas infarctas, transire queat.

Artus, ineunte coxendicis affectione, plus justo longior factus, ex humoribus in articuli cavum effusis, una cum clar. Clive pendere mihi videtur; hinc enim fiet, ut ossis caput e loco suo deorsum trudatur; et ejusdem abscessu aperto, humoribus foras effusis, brevioris facti Anchilos, ossiumque superficie exulceratio, rationem liquido reddunt.

Hic loci de hecticae causa, quae ultimum scrofulae stadium semper comitatur, aliquid dicere, haud abs re fore videatur: Quia haec

febris

febris puri resorpto tribuitur, et nonnunquam huic malo supervenit, antequam talem caulam adesse suspicari possumus; et, quia pariter genu suppuratio hecticam multo tardius quam similis pulmonis affectio accedit, licet puris quantitas plerumque sit multo major in illo quam in hoc. Hujus rei rationem reddere conabor, dicendo, hecticam supervenire illi corporis conditioni, quae plerumque plus minus adest, vel cum viscus vitae necessarium, qualis est, e. g. pulmo, brevi ita afficitur, ut fabrica ipsius organica permutetur; vel cum morbus partis, non adeo vitae necessariae, tamdiu perstiterit, ut corporis vires insitae damno, in morbi decursu allato, refaciendo pares non sint.

D I A G N O S I S.

Scrofulae signa, in morbi historia traditā, adeo singularia sunt, ut multis de hac parte opus non sit ; colli tumores, ab his qui steatomata vocantur, facile distinguuntur ; haec enim molliores sunt, et telam cellulofam occupant ; hujusmodi tumores tamen in habitu strumoso, vel ex eadem causa, vel ex alia pendentes, occurrere possunt ; quanam vero ex causa oriuntur, rebus comitantibus perpenfis, judicare potuerimus ; si tumores strumosi in aliis corporis partibus existant, si labium superius et columna nasi tumida sint, caeteraque proclivitatem strumosam stipantia adsint, facile a steatomate vitium secernitur : His pariter signis scrofula a pluribus aliis morbis secernitur ; quales sunt vermes intestini

norum, qui signis supra dictis a scrofula mesenterica dignoscuntur. Tumores strumosi a *phlogisticis*, iisdem signis, aliisque in morbi historia traditis, secernendi sunt; pariterque ex eo quod tumores *phlogistici* rubriores magisque inflammati sint, stadia sua citius percurrent, et inter suppurrandum, pus ad punctum formetur; quae omnia in tumoribus strumosis contraria sunt.

Tumores strumosi forsitan a schirro internosci possunt, ex eo quod illi, in genera mobiliores et molliores sint, et dolore minus afficiantur. Praeterea tumor strumosus subito saepe evanescit, aliiis alibi corporis enascentibus; has vero mutationes schirrus nunquam subit; in mammarum testiumque struma axillarum glandulae, chordaeque spermaticae raro afficiuntur. In harum autem partium schirro res plerumque longe aliter se habet; nam axillarum glandulae, chordaeque spermaticae jam vitii participes sunt. Omnibus,

quae

quae proclivitatem strumosam saepe comitantur, singularibusque signis, quae in morbi historia narrantur, perpensis, characteres, quae scrofulam a quibusdam aliis morbis fecernant, si luem venereum excipias, quae nonnunquam haud facile a struma dignoscitur, monstrandi opus non erit. Virus autem venereum per varias corporis partes vestigiis ejus consequi possumus; glandulae colli, vel articuli, lue venerea raro tentantur; ossa vero duriora, media potissimum, saepe afficiuntur. Hic loci observatio generalis subjici potest, luem nempe venereum nunquam effectus scrofulae internae similes edere; igitur cum scrofula externa sola, quam interdum simulat, confundi poterit lues venerea. Ad scrofulam a lue venerea fecernendam aliis singularibus illius signis, quorum nonnulla plerumque adsunt, adjuvabimur; pariterque ex eo quod ulcera, aliaque signa, hydrargyro non cedant. Scrofula et lues venerea saepe simul in eodem homine adfuere; hoc forsitan hinc pendet,

quod

quod virus venereum in proclivitate strumosa
causae excitantis instar agat.

P R O G N O S I S.

Scrofulae eventum praesagire difficile est ; si morbus sit externus, tumor non sit praeter modum magnus, aegrotansque sit juvenis, et haud macie extenuatus, exitus erit plerumque faustus ; si autem tumores numero augeantur, et aegre fanentur, vel si abscessus sint magni, tunc prognosis ex morbi progressu, duratione, remediumque effectu, colligenda est. Scrofula mesenterica, licet saepe lethalis, non tamen omni exemplo exitium affert ; si ineunte morbo probe occurratur, corporisque vires non multum imminuantur, eventus faustus saepe sperandus est.

De phthisi jam confirmata nihil boni, quod
ego sciam, praedicendum est. Cum res ita se
habeat, nullus lapis non movendus, quo morbi
tam certo lethalis impetui occurratur. Post-
quam morbus generalis diu persteterit, corpus-
que macie multum extenuatur, ex his plerum-
que colligere fas est, sive scrofula sit interna,
sive sit externa, si hectica supervenerit, mortem
tandem, sine magna errandi formidine, fore ex-
pectandam ; in hac regula generali unicum ex-
emplum excipiendum est, cum nimirum offa vel
articuli earum corporis partium, quae chirurgi
manu rescindi, sine vitae discrimine possint, mor-
bo afficiantur, cumque harum partium affectio
maciei et hecticae causa sola est ; tunc quidem
exitus faustus saepe sperandus est.

R A T I O

RATIO MEDENDI.

Haec tria confilia complectitur.

I. Causae remotae corrigendae et evitandae sunt.

II. Systema universum roborandum est.

III. Quaedam signa levanda sunt.

I. Causae remotae potissimum corrigendae et evitandae sunt, animum in hoc advertendo, ut infantes probe nutrimenta sint bona, et nutrices munditiae observantissimae sint. Infantes neque diutius eodem tempore, neque justo saepius lactandi sunt; neque ventriculum lacte distendendo

dendo consoliandi sunt ; neque saepius aut diutius justo dormiant ; de nutricis lacte nobis bene constare debet, nutrimenti boni satis contineat oportet ; lactis enim, aequa ac cuiuslibet aliis humoris, secretio potest esse imperfecta ; multum abest, ut aer quem pueruli in cubiculo, ubi nutrimentur, respirant, sit bonus ; aer impurus omni aetati, et potissimum infantili, noceat oportet ; quapropter aer cubiculi quam frequentissime renovandus est, et opera danda est, ut sit siccus ac purus ; aer magnarum urbium, et loca humilia ac humida, quam maxime potissimum a proclivibus vitanda sunt. Exercitatio, tum ad corrigendam tum admovendam proclivitatem strumosam, plurimum pollet ; infantesque, omnimodo quo fieri potest, exercendi sunt. Balneum frigidum est species exercitationis, et marinum, ut experientia constat, in hoc morbo plus prodest ; hoc inde fit fortasse, quod aer marinus sit purior, quod exercitatio major sit, quodque pariter balneum marinum magis stimulat et ro-

borat.

borat. Hoc, omni scrofulae studio, si inflammatio, aut *diathesis phlogistica*, non adint, plurimum prodest. Mundities pariter, quae pro exercitationis specie habenda est, ad proclivitatem strumosam tollendam et praecavendam prorsus necessaria est. Usus regularis corpora infantum aqua frigida lavandi, quando balnei frigidi non datur opportunitas, et frictio inter corpus linteis siccandum, effectus quam maxime tonicos edent, et non solum ad scrofulae, sed plurimis aliis morbis, occurrentum faciant; praeterea, corpus adeo roborant, ut infantes morbos, quibus opportuni fint, melius tolerent. Vester anni tempestate accommodandae sunt; tempore hyemali ac verno, pro coeli temperie, calidiores esse debent, et lanula forsitan, pannus bibulus et mollis, temperiem magis aequabilem toto corporis superficie servabit. Diaeta levis, facilis concoctu, nutriendis, et roborans esse debet; cibus animalis a multis in hoc morbo damnatur; diaeta vero, maxima ex parte e carnibus praepara-

rata omnibus aliis anteferenda, ut plurium experientia docet. Liquores e byno confecti, si illam speciem fortasse, vulgo *porter* dicta, excipias, vitandi sunt; sed vinum, praesertim Lusitanum, aquae frigidae et purae pauc illo dilutum, omnibus aliis anteponendum est. Plenitudo nimia praecavenda est. Omnes rationes, quibus opportunitas strumosa corrigenda et submovenda est, in quovis morbi stadio prorsus necessariae sunt. Haud raro evenit, ut e pluribus infantibus, ex iisdem parentibus genitis, unus, parentum suorum déliciolum, mollius curatum, scrofula vel aliis morbis afficiatur; dum caeteri infantes, qui durius eodem tempore trahabantur, horum morborum immunes perstiterunt, et plurima hujus rei exempla novi: Hinc liquido patet, quantum in hoc animum intendi debet, et idonea infantibus alendis cura adhibetur. Plurium causarum excitantium, quales sunt vis externa, exanthemata, caeterique morbi, quibus aetas infantilis obnoxia est, vitatio

difficilis erit ; si autem diligenter et attente ad opportunitatem corrigendi et praecavendi rationes, quas supra monstravimus, incumbatur, corpus causarum excitantium viribus minus cedet. Coeli tempestatisque noxis, vestibus idoneis, migrandoque in loca ubi noxae minus invalescunt, aliquatenus occurretur *. Magnarum urbium aer cum ruris commutari potest ; et exertiones solitae forte suppressae restituendae sunt, ut res nata monstraverit.

II. Consilium absolvitur corpus roborando, quod praestatur,

imo, Animum ad ea, quae supra de proclivitate corrigendi et vitandi ratione attulimus, ad aëra, exercitationem, diaetam, vestimenta, &c. intendendo ; et,

2dō,

* Vid. Cel. Greg. de Morbis Coeli Mutatione Mendis.

2do, Medicamentis tonicis et stimulantibus.

Tonica principia videntur esse, cortex Peruvianus, ferrum, aquae per venas metalli fluentes, balneum marinum, aqua calcis, aer fixus, et vinum Lusitanum. Stimulantia sunt, hydrargyrum, sales medii, et guaiacum ; haec omnia non modo ad secundum consilium, modo inflammatio aut *diathesis phlogistica* non adsint, exequendum plus minus idonea sunt ; sed etiam in omni proclivitatis exemplo pro re nata adhiberi debent.

Cortex Peruvianus medicamentum efficacissimum est, et diu multumque contra hunc morbum laudatus est. Modus hoc remedium, aequaque ac quodlibet aliud postea memorandum, praescribendi, tempusque per quod continuari debet, e rebus circumstantibus pendebit, quae medico prudenti dijudicandae sunt ; neque ulla regula generalis, quae multis exemplis accom-

modare

modare queat, facile excogitanda est. In tempus diuturnum plerumque propinari debet; et simul opera danda est, ne forma, quae aegrotanti fastidium moveat, praescribatur; si pulvis, vel decoctum, vel infusum, ingrata sint infantibus, forma clysmatis injici potest; varii modi tentandi, donec ille qui minimam molestiam cieat, inveniatur.

Ferrum.—Diversa ex hoc praeparata, quales sunt ipsa rubigo, sal martis, tinctura martis cum spiritu salis, flores martiales contra rachitiden a clar. Boyle laudatae, valde prodeesse queant, et subsidium haud leve cortici, quotiescunque naturae morbi recte sunt accommodata, prodeesse invenientur; nec non plurimum fontium aquae, et forsitan *Bathoniae Thermae*, ad hunc morbum medendum conferant: Utunque se res habeat, exercitatio inter his aquis utendum, ad hoc consilium complendum faciat.

Balneum frigidum marinum apud omnes remedium scrofulae efficacissimum habetur : Clar. Cullenus, aliique, hoc auxilium omnium utilissimum fuisse afferent. Sed hoc potissimum, aequo ac remedia supra laudata, in longum tempus continuandum est ; si enim in ipsius usu aeger brevi solummodo persistiterit, nihil profeceris ; mensem, imo annum, aut longius, prout usus postulat, obtinere debet Balneum marinum omnibus aliis anteponitur ; si forte frigidius sit, quam aegri quibus vires fractae sunt, idem facile ferant ; in his exemplis aqua primo calefieri debet, et paulatim frigidior utenda est, prout aeger ei assuescat, aut corporis renitentis vires augeantur.

Aqua calcis.—Hanc olim in scrofula profuisse vidi, utrum sola, an tonicis vegetabilibus, infusi forma, conjuncta propinetur ; quod ubi de venas lymphaticas stimulandi modo differemus, adnotabimus.

Aer fixus.—Aqua aëre fixo satura, cum sit medicamentum tonicum efficax, strumae curandae valde idonea sit. Nemo, quod sciam, hanc tanquam hujus morbi remedium memorat; sed, ob vires ejus roborantes bene notas, huic morbo medendo apprime accommodari colligrem; et forsitan ferro connuptus plus pollebit.

Vinum Lusitanum, de hoc supra tanquam diaetae parte tractavimus; majori vero copia, medicamenti vice propinatum, contra hunc morbum plurimum pollet; et in quibusdam exemplis satis larga quantitate praescriptum, quam maxime proderit; una cum cortice praecipi potest; plerumque vero corticem et vinum separatim exhibenda duco; inde enim fiet, ut utriusque vires majorem ederit effectum.

His corpus roborandi modis magnum auxilium ferent medicamenta stimulantia, quorum efficacissima sunt, hydrargyrum, sales medii, et guaiacum.

Hydrar.

Hydrargyrum.—Magna datur sententiarum varietas de usu hujus medicamenti in scrofula. Multi revera nocere contendunt ; dum alii summis laudibus efferunt. Clar. Cullenus nunquam in usu suo profuisse inquit. Cum autem effectus, quos morbus edit, pro parte affecta, maxime sint diversi, cumque hydrargyrum horum aliis, aut quibusdam eorundem stadiis prospicit, aliis vero oblitus ; hinc forsitan sententiarum diversitas profluxit. Praeterea, certa hydrargyri praeparata, modus exhibendi, dosis quantitas, quae diversitas quodvis fere medicamentum aut nocivum aut salutare reddit, hydrargyrum pariter pernicisum aut salubre faciat, et certe hoc remedium sine vitae discrimine larga manu exhiberi nequit ; et nunquam fortasse, si vel *diathesis phlogistica* adsit, vel pulmo afficiatur, vel si ulcera praeter modum inflammentur, aut corpus macie macrescit, aut hectica supervenit, praecipiendum est. Tentamine a clar. Fothergill, in observationibus Medicis Londin. de usu et utilitate corti-

cis

cis Peruviani in scrofula edito. calomel dosibus parvis, ad cortici subsidium ferendum, commendat. Wiseman, Caroli II. Regis chirurgus, qui plurimorum scrofulae exemplorum historias memoriae prodidit, calomel large praescripsit ; tantamque huic remedio fidem habuit, ut, absque quibuidam ex hydrargo praeparatis effet, omnem scrofulae medendi spem abjiciendam esse, affirmare non dubitaverit. Van Swieten mercurio corros. sub qui nunquam fere expectationem fallere habebatur, corporis habitum mutandi consilio, fidenter usus est. Alii, qui multa scrofulae exempla viderunt, calomel enixe commendant *. Omnibus perpensis, hydrargyrum, quibusdam scrofulae exemplis, quam maxime profuturum esse colligerem. Omnia ex hydrargo paratorum, calomel, uti vulgo nominatur, efficacissimum videtur. In scrofula mesenterica, quando tumores, ineunte fere morbo, doloris

* Vid. White on Scrofula.

Ioris expertes, inertiaque torpent, quam maxime profuisse novi, et unicum videtur esse medicamentum, cui in illa scrofulae specie fidendum sit; huic enim morbi stadio, viribus suis stimulantibus, ac recludentibus, actionemque venarum resorbentium promovendo, ut in hydrocephalo constat, proprie accommodari videtur. Dosibus parvis, neque diutius continuatis, inter cubitum eundum praecipiendum censeo. Complures infantes, multis primi scrofulae *mesentericae* stadii signis affectos, calomelanas dosibus parvis, inter praeparandum ad variolarum insitionem, per duas septimanas hora somni exhibitis, permuto simul, diaetam concoctu difficilem, plenitudinem, aëra impurum, &c. diaeta levi, aëre puro, exercitatione idonea, &c. parentibusque simul curantibus, ut eorum, quae infantibus suis tantum profuerunt, usus satis diu perfaret, penitus convaluisse novi.

Inter sales, qui huic morbo prodeesse feruntur,

aqua marina multum laudatur. Clar. Russel, multique auctores, multa, in quibus hoc remedium insigniter profuit, exempla memorant. Regulae aquae marinae exhibenda sunt plerumque eadem ac aliorum salium, quae in hac affectione commendantur. Usus diu, intervallis idoneis tamen interpositis, perstare debet; ea que debet esse dosis, ut catharsis praeter modum non augeatur, neque corpore macie confecto propinrandae sunt. Soda et spongia usta ab aliis multum pariter laudantur.

Guaiacum, quatenus stimulat, in quibusdam scrofulae exemplis proficiat; hoc remedium, aqua calcis solutum, quod in veterum pharmacopoeiis **Aqua Benedicta** vocatur, non sine fructu adhibitum novi.

Inter haec omnia facienda, probe ad animi statum advertatur necesse est; potissimum ab affectionibus animi deprimentibus cavendum est.

Pathē-

Pathemata excitantia, quippe quae corpus grata stimulant, fovenda sunt. Tactus regius, quae scrofulae medendo adeo vigebat, animum et corpus stimulando, nec non exercitatio inter iter faciendum, nonnihil profecerunt.

III. *Consilium*.—Quaedam hujus morbi signa esse possunt, quae duo priora consilia non complectuntur. In quibusdam exemplis, ubi corpus praeter solitum irritabile fuit, et exulcerationes pervicaciores fuerunt, cicuta exitu secundo praescripta fuit; et multum a multis scriptoribus, ad tumores pariter strumofos resolvendos, laudatur; nec desunt scriptores, qui cicutam in utroque exemplo profuisse asserunt; sed ex proprio penitus nihil de interno cicutae usu in hoc morbo haurire possum.

Dolores graviores, et pervigilia opio levanda sunt. Catarrhus superveniens, hirudinibus, vel cucurbitulis cruentis, pectori admotis, vel si

diathesis

diatheſis phlogistica adeſt, fanguinis e brachio detractione inhiberi potest; ſi tuffis ſit moleſta, opio levanda eſt. Venienti catarrho, quippe qui ſit ſtadium unicum morbi, cui mederi potest, quam primum occurrendum.

Cujuslibet tumoris ſtrumofis ſuppuratio, ſi qui fieri poſſit, praevenienda eſt; ad hoc cicutae cataplasmata plurimum laudantur. His foliis ego nullatenus fidere poſſum; cicutae autem cataplasmata, facchari saturni ſolutione adjecta, tumoribus ſtrumofis refolvendis, utiliffima novi. Quando tumores ſunt prope aut circa articulos, ſuppuratio eorum praecipue occurrenda eſt, et fasciae primae notae auctoribus commendantur; hujusmodi tumores veficatoriorum articulis admotorum ſtimulo refoluti ſunt. Profundioribus dorſi tumoribus, spinam diſtortam stipantibus, fontanellas utiles fuiffe ſcio. Tumorem nullo remedio ſolvendum, praefertim ſi articulo proprieſor, aut praeter ſolitum magnus ſit, ſemper

aperiendum

aperiendum suaderem ; *setacea*, in quibusdam exemplis, huic consilio melius respondebunt. Ulcera, corporis vires augendo et sustinendo, potissimum conglutinantur ; si hoc fiat, saepe sanantur ; cum autem expectatio nostra fallitur, diversa externe admoventur ; vitrioli caerulei solutio cum fasciis idoneis saepe hujusmodi exemplis bonis avibus applicantur. Ulcera facchari saturni solutione, aut aqua calcis lavata, saepe meliora facta sunt. ¹⁰ Aqua marina pariter secundo eventu adhibita est. ¹¹ Cullenus lintea aqua pura madefacta commendat.

Unguenta astringentia et stimulantia non-nunquam necessaria sint. Unguenta faccharo saturni, et mercurio praecipitato rubro, cataplasmata ex cicuta et aqua marina conflata, commendata sunt, et mirrha aqua calcis soluta saepe bono exitu usus est clar. White.

Auxilia jam designata pluribus scrofulae externae

ternae signis facile accommodari poterunt : Ophthalmia autem, quae tantum doloris ac molestiae hoc morbo laborantibus haud raro facescit, remedia singularia sibi vindicat. Sanguis e partibus affectis missus, si inflammatio sit praeter modum gravis, collyriaque e faccharo saturni quam maxime proderunt. Quando inflammatio est praeter solitum pertinax, unguentum mercuriale mitius oculo inditum profuit. Pulveres astringentes, axungiae porcinae commixti, eodem modo admoti, optimos ediderunt effectus. Aluminis semunciam in decocto cort. Peruv. libra solutam, fomenti frigidi forma, subinde usurpandam, et hujus guttas pauculas oculis instillandas, commendat clar. Pellier. Decoctum corticis Peruvianis aqua calcis commixtum, a quibusdam non sine successu exhibitum est. In hoc ophthalmiae specie dolor plerumque quam maxime acutus est ; ad hunc levandum collyrium e laudano et aqua rofarum compositum saepe usurpatum est. Ad hoc signum, gravemque oculi

oculi mobilitatem, qua stipatur, levanda, decoctum foliorum Hyosciami, lacte tepefacto commixtum, optimo cum eventu usus est Pellier. Jussit pariter ut aegrotans oculos vaporibus hujuscē decocti calidi, decem minuta mane et vesperē per dies quindecim, objiceret ; nec non plurimis ophthalmia strumosa laborantibus, unguento ex hydrargyro, zinco, et plumbo confecto, et decocto supradicto usus, magnum levamen attulit.

F I N I S.

sober, shrewd, and full of material wealth,
and of great influence among the
rulers of his time, was a man of much
and varied experience, and could
not easily be induced to commit himself
to any one cause, or to any party.
He was a man of much tact, and
of great personal force; but he was
not, as is often said, a man of singular
genius, or of great originality; but he
was a man of great power, and
of great influence, and he was
a man who could always be relied
upon to do what was right, and
to do it in the best way.